

runt. Ridet tamen hoc somnium Cicero  
 eo præsertim, quod ore radicem tenens  
 loquitur draco, quod non posset etiam  
 vir disertus: Et reuera, quis hoc audiens,  
 non vel Medicum serpentem vel serpen-  
 tium rideat Oratorem? Quid enim ma-  
 gis in Demosthene miramur, quàm dum  
 pleno lapillis ore perorantem legimus?  
 veruntamen nihil non facile somnianti.  
 A Regiis ad Ducum somnia transeamus,  
 mox visuri quid Philosophi somnient,  
 quid Poëtæ, Non in Parnasso (illa enim  
 altior cura est) sed in lectulis suis sobriè  
 ac duriter somnum capientes: Inde ad  
 plebeiorem visa vertemus stilum, ne  
 quod fortè genus hominum relinqua-  
 mus. At ne quis forsitan miretur, quod  
 in re quàm variam & fallacem diximus,  
 & disturi sumus, tam diligenter insisti-  
 mus, sciat quod apud egregios auctores  
 sparsim omnia, sed apud somniorum ir-  
 risorem Tullium, præterquàm quæ de  
 somniis Cæsareis diximus, magna pars &  
 præcedentium & sequentium scripta est:  
 Non inutile præterea, nec superuacuum  
 arbitramur, illustrib. exemplis rem cog-  
 noscere, vnde prius effectum est, vt etiam  
 doctos homines interdum somnia con-  
 tur-

tur-